

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANÈ DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis quintâ Januarii. 1713.

M. ANDREA CRESSÉ,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ut Virginitatis, sic Virilitatis *certa indicia?*

I.

VIDEN mendacia rerum! caſſâ ſpecie nos ludunt. Sic eſt, in cortice hæremus, nucleum prætereuntes. Ideò, quia in ſuperficiebus, non medullis rerum verſamur. Quæ Helena foris, intùs Hecuba eſt. Eâdem fraude, deſideres interdùm in ſponſo maritum; in marito patrem; in juvene virum. In ſexibus enim Androgynum dari non poteſt, poteſt in hominum vultu. Ipſa vox *homo* anceps eſt, viri ac feminæ particeps; undè quod de cœnis habent, in homines cadit, dubii ſunt;

374

Dicas in aurem, ſic, ut audiat nullus.
Amator ille . . . .
Qui . . . . Galbanos * *habet mores.*
Quæris quis hic ſit? excidit mihi nomen.

* Effeminatos.

. . . .

Quarè deſine me vocare fratrem
Ne te . . . . vocem ſororem.

An dubia forent ſexuum diſcrimina? imò; at dubiæ ſunt hominum facies, ſic ut interdùm in viro virum quæras. Etiam ſuo conſpectu ludunt ſexuum organa; ex eorum enim numero, quantitate, formaturâ, marem à feminâ, à non Virgine Virginem potueris definire; at ex talium præſentiâ, virum ab homine, validum ab invalido, *potentem ab impotente*, à mulieroſo *frigidum* decernere imperitiæ eſt. De ſexuum dignitate quæſtio eſt, ſed quæ odii argumentum minùs eſt, quàm invidiæ hominum. Reverâ ipſas feminarum formas aliqui non dedignantur, illarum illecebris capi ambiunt multi, vinci gaudent non pauci. Poſt-hac mulierem dimidiatum hominem dices? an virum dimidiatam mulierem? hæc omnis homo fuerit, ſi fortitudinem quæ hominem inſignit, poſſit induere. At heroibus dominari datum jam illis eſt, ex quo Achillem nere docuerunt. Portentoſa iſthæc eſt mulierum in viros omnipotentia, quam ſoli *frigidi* rident. Mulierem ergo monſtrum naturæ vocari, dogmatis monſtrum eſt. Meliùs naturæ prodigium erit, quæ ſic imperat gentium dominis. Interim mulieris caput eſt vir? appoſitè ſic tyrannidi ſexûs cautumeſt, legum vi ac Sacramenti virtute. Sed feminarum regnum intra ſe diviſum eſt; innuptis nuptæ invident: has illis præferre Judæis conſuetum, nuptis innuptas Chriſtianis. Hinc Virginitatis pretium & honos, qui quò inſignior, eò rarior quibuſdam habetur. Reipſâ flos & mundities eſt Virginitas, quam perdit turpitudinis aura. Eâ de causâ, mente perire Virginitatem Religio docet, illibato enim corpore mens inquinatur. Quot ex hoc pietatis dogmate patiatur damna pudicitas, immane: at plures adhuc corporis integritati volunt fieri jacturas, Virginitatis cultores avari. Hos intellige, qui, dùm eos occupat ſexûs amor, ſexui invidioſè conviciantur. Virginem tam raram, quàm phœnicem perhibent; quod ſimultati non imputaveris, iis enim maledicunt, à quibus amari amant. Eò tamen venit Virginibus maledicendi malignitas, ut has à mulieribus ſecerni nolint. Hos malè ſuadet vultûs pudor, oris verecundia, modeſtia vultûs, virorum fuga, ſilentii amor, pudicitiæ fama, morum integritas; hæc (aiunt) omnia æquè referunt ac repræſentant, quæ ut ſexum ſic connubium nobilitant mulieres. Alias imperioſè exigunt notas, quibus exteriori integritati concinat arcana corporis integritas. Ludibrio habent, & meritò, Virginitatis notacula, quæ ex naribus, collo, voce, &c. venari ſolent, ut Virginitatis naufragia hariolentur. Ulteriùs, hos rapit in Virgines livor, quæ ſexum faciunt partes, in innuptis perindè, ac in nuptis ſimiles ſtatuunt, formâ, ſpecie, colore, habitudine, poſiturâ. Tàm facilè crediderìs, florem intactum, ne vel à *Miaſmate* maligno temeratum, alteri ſimilem flori, impuris manibus compreſſo, attrito, obſcurato. . . ?

II.

HEU antiquatam veteris ævi ſimplicitatem ! heu deperditam priſcam fidem ! quò homines antiquæ virtutis ! Docti fortè minùs, at ſapientes magis ; veritatis amantes, ſtudioſi ſinceritatis. Tunc temporis motam de Virginitate litem, illicò dirimebant ſimplicia Virginitatis ſigna. Num arcanas revelando partes ? num eas nudando, quas diligentiùs tegit natura ? num eas intuendo quas voluit inconſpicuas ? quas videri, violari ; quas tangi, fœdari eſt. *Veſtimenta Virginis coràm ſenibus pandere* ſat erat, quo dato ſigno, ſic abſolvebatur ſuſpectata conjux, ut vir odii ſui pœnas verberibus lueret. Tanta erat ſimplici huic ſigno patrum fides ! at huic venire poteſt aliundè major, in quo frigidis opprobrii nota paratur. Quid enim, ſi ulciſcendo nupta virgo junior cum viro, quem impotentiæ accuſabit, expoſtulaverit virginitatis ſigna ? hoc abſente ſigno ignaviam viri & copulæ defectum arguet. Reclamabit vir ? accuſationi fidem faciet Virgo juvencula conjux, inſpiciendam ſe offerendo. Virginitatem enim à nuptiis ſuperſtitem oſtendere, ſponſi impotentiæ ſignum tàm certum erit, quàm conſtuprationis indicium, non oblatum *in veſtimentis Virginitatis ſignum.* Quorsùm igitur tam multa ſcrutari ? tot cumulari quid juvat ? quibus *frigidum* evincas, aut abſolvas Virginem ? cur in hoc uno non erit certum æquè *frigiditatis*, ac *Virginitatis* indicium. Nuptam ergo, quæ Virgo juvencula erat, apud Judices conqueri, quod *ſigna Virginitatis* afferre ſibi non detur, virum *frigiditatis* accuſare erit, conſpectamque ſe Virginem offerre, erit evincere. Fidem excedit, quot expediret *frigidorum* ac *Virginum* lites, doctrina hæc ſacris contenta codicibus ! ſic parceretur turpiloquio *hymenis*, *caruncularum*, rugarum uteri &c. à fœdo hoc ſcrutinio abſtineretur, ſcilicet an ſuam ordinationem ſervaverint, in colore, tenore, ſitu, menſurâ, habitudine. Abſit tamen dubitaveris, hæc quoque vera reperiri ; ea enim eſt nuptæ ab innuptâ partium diſparitas, tantùmque à ſeipſâ mutata tunc illarum facies, ut quantùm in nuptis ſui violatione maritam oſtendunt, tantùm in innuptis integritate ſuâ Virginem evincant. Copulationis enim ſucceſſus, ab *elatere* pendet partium quæ copulantur. Id *elateris* à viro unicè expectabis ? abes à verò ; *Muſculum* uterum fecit natura, ſic conſtitutum, ut quò magis dilatari cogitur, in ſe redeundo ſtringatur magis. Strictionis autem vim, ab eâ quæ illius dilatationis eſt metire : coactæ ad pyri magnitudinem (quæ uteri in Virginibus menſura eſt) uteri fibræ, ad capitis molem in prægnantibus creſcunt & dilatantur. Hæc autem immanis fibrarum uteri in prægnantibus dilatatio, *elaterem* portentoſum uteri prodit, quandoquidem quò breviores, eò potentiores ſint fibræ. Par eſt exindè manans *vaginæ elater* ; latera cujus, ut compreſſilia maximè, ſic arctè conniventia, id operæ præſtant in ſexuum *copulâ*, ut ad ſe accedendo, quem admittunt fœcundantem ſuccum fortiùs & intrò adigant. Ex hâc autem duplici & mutuâ violentiâ, partium mulieris violationem ; ſitûs, poſituræ, ordinis, rugarum, habitudinis mutationem, hiatum & fœdationem conjicere eſt. In his autem tenore, poſiturâ & habitudine, certiora habes *Virginitatis* ſigna. Arte enim meretriciâ anguſta viarum quantumvis æmulentur,

vaginæ rugas & aſperitates reſtituere, externamque partium œconomiam reconcinnare, colorem neque ſpeciem ac *tonum* ementiri dabitur. *Hymenem* conſilio prætermiſſum credes, quaſi anilibus fabulis accenſendum? imò aliud indubitatum *Virginitatis* ſignum venit, in quibus occurrit; occurrere autem teſtantur inter anatomicos non ignobiles. Defuerit? ſupplebunt *caruncularum* flos & connive̅ntia. Carunculis fidem quoque negas? hanc cogit ſinûs pudoris diſpoſitio, circumſepti in Virginibus eâ arte, ut poſt copulam à ſitu, tono, ac ordinatione diſcedat. Poſtremò addideris verba Virginis, quæ ſponſi copulam negaverit. Rides? ſponſo copulationem affirmanti credis? Nùm quia mulieris caput eſt. Ita, ſi ſponſus maritus, ſi marita mulier, tunc enim illum Dominum vocare cogitur. At qui *frigidus*, non maritus eſt, nec illius marita, mulier.

III.

VIRILITAS ad Venerem potentia eſt, *virum* enim ut *nolo nimiùm, nolo parùm.* Veneris nomine, ſexuum copulam intelliges, quæ conjugum ut votum eſt, ſic conjugii finis. Hæc enim procreationem intendit, cui copulâ præludi, tàm neceſſum quàm confeſſum. Interim infœcundè ſexus miſceri quotidianum, ni ſucci fœcundantis miſſus fiat. Igitur præter copulæ potentiam, miſſilem fœcundationis auram oportet exilire. Huic auræ fœcundationis neceſſitatem injungis? At tunc fœcundationis cauſas rimari eſt, non *Virilitatis* notas perſequi. Porro, ut citra *Virilitatem* nemo fœcundus, ſic abſque fœcundatione aliquis *Virilis* eſt. Quæ hujuſmodi *Virilitatem* ſpondeant ſcrutaris? ut in liberis teſtes ſuos habet fœcundatio, in ſignis ſui dat indicia *Virilitas.* Hæc fortè locabis *in juvene convenientibus organis inſtructo?* quid enim potentius, quàm amoris organorum opulenta ſupellex? an hunc apparatum opere caſſum concipere eſt? adjicito corpus euſarcum, exercitum voluptate, dapibus delicatulis inſuccatum, ſpirituoſis animatum ſuccis aut liquoribus; ſiccinè amorum ſatellitio ſtipatum corpus, ignavum ad Venerem aut imbelle conjicies? feriantia concipies tot tamque præclara laſciviæ inſtrumenta? ita ſanè, nimiùm his credes omnibus, ſi mendoſa ſint, ſi ludant *oculos*, ſi fucum faciant. Illudunt autem, ſi fictæ ſint inſtrumentorum effigies, mera organorum ſimulachra, ignava, inertia, funerata. Funerata vocas, motûs aut *elateris* expertia? honore aut titulo defunctæ vitæ, abuti eſt. Extincta hæc non ſunt, ſed vacantia, nunc non primùm, ſed ab antiquo, à cunis ipſis feriantia. Porro, *ſi à poſſe ad actum non valeat conſequentia*, num à *non poſſe ad poſſe* valebit? quæ autem feriantia nata ſunt, *non potentia* ſunt, aut *impotentia.* Hanc ſortem innatam ſibi gratulabuntur cælibes, quos importunè ſtimularet aut periculosè amandi pruritus; ſed hanc lugebunt mariti veneris officio debiti. *Maleficiatis* hanc fortè ſortem dabis? perperàm. *Maleficiatorum* enim ſtatus, caſus eſt & malitia; *frigidorum*, natura eſt, & habitudo. *Frigidi* ſunt, invalidi, *& impotentes*, quibus fractus, aut mollis eſt *cupidinis arcus*; quos nempè deficit nulla ex iis partibus quæ virum oſtendunt, at quos urit aut excitat ex iis nulla. Cæterùm *frigidi* virilibus organis præclarè inſigniti, à laſciviâ tuti, viros ſe non ſentiunt, nedum experiuntur. Intereà, novercam iis, defuiſſe non omninò natu-

ram argumento est, pensata aliundè horum calamitas : Achillis instar sui aliquâ parte, sunt invulnerabiles. Iterùm præ cæteris à naturâ beantur, indè feliciores quòd ancipites & neutri, feminas inter & viros, nec sui, nec alterius sexûs ægritudinibus pateant. At *digito compesce labellum.* Quæ honestè innuuntur obscœna, inhonestè proferuntur. Ut ut sit, frigidi nati, à carne flagellati nunquàm, non concupiscunt, amorum ignibus immoti, non petulci, non salaces; non catulientes. Deses enim pars illa, quâ viri forent, humilis & tacita silet, depressa jacet, motuque tardescens instupuit; nunquàm ab inertiâ resurgens, surgit nunquam ad opus, nec in actum erigitur.

IV.

HIS se prodit indiciis *Virilitas*, quæ, illis absentibus, abest. Quid enim, amabo, sunt conjuges? *duo in carne una.* Quid conjugium? sexuum conjunctio, *& adhærebit uxori suæ.* Illud Religio, hoc ratio. Procreationis negotium, mutuum quid, à duobus pendet. Structura est, cujus impages sejunctis divisæ locis, veniunt adunandæ. Hinc germen, illinc ovum; duabus quasi conclusa capsulis, quæ duo sexus sunt. Ovum, fœtus compendiolum, massula iners est, arcanis fœminæ partibus altè condita. Germen animabilis materies, à viri corpore in uterum exilitura; illi enim exiliendum ad ovum est, ut potè alienum à se atque dissitum. Huic operi, *viâ viri* ad feminam opus fuit, quâ ad segnem materiam animatio perveniret. Hæc *via*, sexuum copulatio est, cui proinde deesse, mariti conditionem abdicare est. Nam copulæ præest vir, subest fœmina; ille causa est, hæc *subjectum*; ille motum, hæc *mobile*; ille *elaterem*, hæc *elateris* capsulam; verbo *oscillum* alter, *oscillandas* altera partes sufficit; vir enim oscilla (quæ germina sonant) suppeditat, femina dat fomites. At ovum ut ad germen venire nequit, germini ovum adeundum est. Adeundum dicis? ita sanè, si in aperto, vicino, & facili loco situm ovum fuisset. At secùs se habet, tàm remotum enim quàm reconditum est. Hinc *potentiâ* viri opus est, seu organi *elatere*, quo missum germen ovum queat attingere. Attigisse autem non exigitur, viri enim debitum solverit, aut mariti exegerit officium, qui impetu prosiliens ad ovum germen, validus emiserit. Harum sub vocum umbris descriptam habes *Virilitatem*, quam constituit firmus organorum *tonus*, validusque *elater*, quibus vibretur animabilis succus. Esto enim, viri muneris non sit fœcundare; at potuisse illius honoris est; patris titulo deesse infaustum, mariti officio indecorum. Fortè ovum silens erit aut subventaneum, admittendo germinis spiculo impar aut absonum, tumque irrita copula fuerit; at feminæ culpâ, non mittentis, nec missilis defectu, modò præcesserit organorum *elater*, situs, *tonus*, & constantia *toni*, quæ vibrando, dirigendo, animandoque satis fit. Ovum enim per se immotum est; missilis ergo impetu indigum, quo motum concipiat. Hunc autem dat impetum vibratio, quæ profectam à viro retinens motûs determinationem, hanc secum transfert ad ovum. Igitur quò minùs ad motum se erigere ovum potest, eò validius ad illum elevari oportet & erigi viri *potentiam.* Hinc bellum organorum apparatum, loco, numero, ac mensurâ absolutum ostentare, non Masculum se, sed Marem asserere est. Masculum os-

tendit non istorum præsentia, sed actus. Si valida & ad opus habilia esse isthæc organa confessum est, fœcundatione quamvis cassa, in tuto manebit viri validitas; quod enim partium suarum erat, præstitit. At stupentia organa, defecta *tono*, *elatere* destituta, agitata nunquàm nec agitabilia jactare, heroïca frigidorum virtus & *potentia* est. Talem hæc se prodet si cum juvenculâ sponsâ jacuerit inexperta. Post-hac *impotentiæ* argumentum evidentius rogas? solem quæris lucentem? at cæcutire amas? fidem coget sponsa isthæc (si sponsa fuerit) à nuptiis virgo superstes. Virginitatis huic argumentum deberi prætendis? solvendo erit virgo conjux, non in ære, non in rixis, non in tergiversationibus, sed in cute. Atqui isthæc erunt Medicorum phantasiæ lascivientis ludibria, hæc illius ambitiosæ artis consilia, ea audentis imperiosè quæ sui juris nec sunt, nec authoritatis, nec scientiæ. Bella verba! quasi à Judicibus invocarentur Medicorum, ac Chirurgorum artes, de organorum unicâ formaturâ, numero, figurâ, quantitate, pronunciaturæ: certè ad hæc nec eruditis manibus, nec sapientium decretis opus erit. Verùm, cum *frigidi* esse queant, *convenientibus* quamtumvis *organis instructi*; à legibus Medici interrogati, an isthæc organa *potentia* sint, & ad conjugum opus valida; eorum officii est, de organorum apparatu mirabili pronunciare non tantùm, at decernere *quid* illa organa *possint*, *quid ferre recusent*.

V.

AT *serò sapiunt Phryges. Juvenem* habes *convenientibus organis instructum*; *desperes nihil, juventuti nihil arduum est.* talis Athletæ gratiâ, *in spem contra spem ire licet.* tantùm, da spatium, tenuemque moram, nam grande moræ pretium est. Da tempus, quod ætas nequiit, sæpe sanavit mora. Hæc mora neque sponsos dedecet;

Nubere si . . . . voles, quamvis properabitis ambo,
Differ; habent parvæ commoda magna moræ.

Venereos in juvene recognoscis lepores? At

Non formosus erat sed erat fœcundus *Ulysses.*

Copulæ nondùm maturum excusas? At

Heroes citò maturi Et
Cæsaribus virtus contigit ante diem.

Spem, emendicando ais, retine.... spes una hominem nec morte reliquit. Igitur

Eia age rumpe moras; quò te spectabimus usque?
Dum quid sis dubitas, jam potes esse nihil.
Cùm mora non tuta est, totis incumbere remis
Utile, & admisso subdere calcar equo.

Urgebis. Sed juvenem cupido nòn urit, non uxoris urget, nec fœturæ amor?

Excitat ignavos spes famæ.

Sed ad quid evidentia *Virilitatis* indicia exigi? ad quid proferri Virginita-

tis notas? numquid non pudorem exuere est? *frigidorum* cantilenam, pudibundorum' ne pudescant! pudibundumne dixeris, quod jubent leges, quod Religio finit, quod probat usus? turpe est *frigidorum* connubium, quorum non est *thorus immaculatus.* Thorum interea *frigidi* emendicare solent, ut *potentiæ* periculum faciant, nam in multis, aiunt, *intrat amor mentes usu.* Ita in validis, at in frigidis dediscitur usu. Insuper, an *frigidorum* portentosâ libidine Sacramentum scelerari licet? speciminis titulo thori usus indulgetur iis, quibus *ante pilos non venit amor*; qui silentem celant, suo tempore maturandam *potentiam.* At tu *juvenis ille, instrumentis convenientibus instructe,*

Dùm vernat sanguis, dùm rugis integer annus,
Utere;
Si tardus eris .. errabis .. transiet ætas.

Bellè mones; quasi verò id expectes ab eo, cui desunt *Virilitatis* indicia. Apage, inquam, isthæc indicia, hostilia pudori, religioni contraria? opera tenebrarum sunt tenebris condenda, quæ noctuarum exemplo lux offendit, fugatve hominum præsentia. Prætereà, itane stimulos amoris evocare datur? siccinè Veneri litare? siccinè tentaminis infandi memoriam refricare? pudicè quidem, ut videtur. At undè virilem organorum habitudinem desiderari *in juvene tam convenienter iis instructo*? undè hunc oportere adigi ad illum partium *tenorem,* qui in virum non eviratum cadit? excitari ad actum, aut organa erigi, impermissum credis? at jubet consuetudo vetus, quam Ecclesia videt tacetque, sinunt Pontificiæ leges, cogit necessitas. Necessitas? ita necessitas, si thorum à sceleratis frigidorum ausis arceri volueris. Aliàs, impermisso illo *Virilitatis* signo, in tuto sunt *frigidorum* connubia, de quibus solvendis sileant oportet leges, & lites. Aliundè, si excitare se juvenem piaculo ducatur, fortiter ut est ille tuus à naturâ instructus, excitatum ultrò se monstret. Atqui excitatum se nunquàm sentit? ecce fatentem reum habes; *frigidus* est. Se sentiet, ais, factâ sibi puellæ copiâ. Quid autem si matrimonio traditum, copulæ imparem declaret misella conjux? quid si inveniatur oneratus magis quàm ornatus *convenientibus organis*, ut potè tristibus, & plumbeis? Quid si intentatam copulam in se ostendere polliceatur fraudata conjux, intactam se monstrando? Eodem quo te tueris pudoris velo, hanc illicò tegi postulabis? Sed hos mitte cuniculos, ab his abstine tricis. Ad turpia licita cogit necessitas, mundis omnia munda; neque sordida quævis, quæ verecunda, nisi quæ sordescens animus admiserit. Cæterùm an hodie primùm Virgines inspici cœptum est? Patrum Ecclesiæ memoriâ, Virgines stupro notatas intueri moris fuit. Exindè leges id ipsum imperarunt. Incertari clamitas Virginitatis indicia? errare amas; tàm certa sunt, quàm certa habetur rerum humanarum conditio. *Una* quidem *hirundo non facit ver*; neque unicum, aut uniusmodi signum Virginitatem astruet: sed factâ signorum, conditionum, ac circumstantiarum *Syndrome*, in decernendo tutus erit æquus rerum æstimator. Reverà, si de Virgine semel tantùm compressâ quæstio fuerit, obscuræ fortè videbuntur constuprationis notæ; de illo tamen stupro decernunt leges, si illud recognovisse oculi eruditi testentur. Verùm, incertumne veniet judicium de inspectâ muliere virum sæpiùs passâ? an

in illâ expectare erit Virginitatis umbellam? at inspiciendæ mulieris copia non datur; dubia visa sunt viri organa; undenam alterutrius conditionem definieris? imò, en se tibi prodit Virginitas; hujus indicia quæ in alterutro conjugum incerta quærebas, in utroque certa tenes. Non maritum se profert sponsus, non sponsa se maritam? certus concludas, sunt Virgines ambo.

Ergò ut Virginitatis, sic Virilitatis *certa indicia.*

Domini Doctores disputaturi.

M. Hyacint. Theodor. Baron. *M. Joan. Franciscus Couthier.* *M. Petrus Joannes Burette, Professor regius & regiæ numismatum Academiæ Socius.*
M. Joannes Nicol. de la Hire, è Regiâ scientiarum Academiâ. *M. Joannes-Baptista Mongin.* *M. Ludovicus de Vaux.*
M. Antonius Geoffroy. *M. Alexander le François.* *M. Petrus Marais.*

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS ANTONIUS LE DRAN Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1713.

PARISIIS,

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1713.